DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XIV. NOVEMBRIS.

M. CLAVDIO BIENDISANT, Doctore Medico, Præside.

An erumpentibus variolis, urgente tussi aut alvi profluvio, venæ sectio repetenda?

NON novum, sed veteribus cognitum morbi genus, quod Græci propriè ἐκθυμάτων, Latini variolarum nomine designarunt; pustulæ quædam sunt rubræ, rotundæ, ac parvæ, per totum corporis ambitum erumpentes, purulentâ dein sanie refertæ, ebullientis in vasis sanguinis soboles, naturâ humorem noxium ab utili secretum per modum κρίσεως expellente. Hæc si minùs valida, copiosa, crassa, tenax materia, intercepti commeatus, non raro in ægrorum perniciem intus sæviunt, sicut dum vel adstantium errore, vel ambientis vitio, in corporis superficie semel efflorescentes momento citiùs evanescunt: febrem synochum putredinis & malignitatis participem sociam habent. Hinc non hæreditaria labe (quamvis inter consanguineos magis familiares) sed pernicioso contagio serpunt in alios; omnes indiscriminatim adoriuntur, licèt frequentiùs pueros, nec parcunt fœtui etiam in utero concluso. Qualibet anni tempestate grassantur, vernâ tamen & autumnali (præsertim si austrinæ fuerint) longè frequentiùs.

ERRANT qui præcipuam variolarum causam, citra alicujus internæ concursum, aërem statuunt cœca malignitate affectum, qui κακοχυμίαν pituitosam in utero & extra uterum contractam admittunt: veriùs illi variolas proximè enasci contendunt ex vitioso & corrupto sanguine, quem vel prava gignit vivendi ratio, aëris inquinamentum, vel μίασμα συπεδονῶδες ex impuris menstrui reliquiis partibus impressum. Vnde quibus sordidis scatent humoribus viscera, vel laudabilibus vasa nimiùm distenduntur, frequentiùs & promptiùs hi variolis inficiuntur, quæ ideo nonnunquam sporadicè plures infestant, alias epidemicè invadunt, quo jure audiunt pestis prodromi; cùmque non raro præ naturæ imbecillitate irrita videatur sanguinis ebullitio, te in spem erigent assidentia variolis symptomata: alto cerebrum sopore detinetur capitis gravitati conjuncto, oculi caligine suffunduntur, roseus faciem color illustrat, nares pruriunt, susurrans sonitus aures ferit, molesta est deglutiendi & respirandi difficultas, fauces, pectus, & lumbos dolor obsidet, frequens ventriculum concutit nausea, subvertit vomitus, corpus fatigat pandiculatio, cordis terret palpitatio, vires dejicit sæpius recurrens λειποθυμία. Interim febriles, æstuans humor cordi faces admovet, tandemque suo stare loco nescius sanguis effervescens, motu cietur assiduo, & quidquid malignitatis habet admixtum, ad cutem amandat, in pustulas rubras, rotundas, humore plenas, quæ certa variolarum τεκμήρια sunt, abiturum.

QVÆ dotibus præditæ convenientibus tandem protuberarunt in cute variolæ, ut victricis arguunt naturæ robur, ductuum libertatem, sic laudabilem materiæ, ex qua oriuntur, conditionem, tuncque cum ægrotantibus feliciter actum existima: periculosè verò, dum his adversa ratione erumpunt, atque si præsens adfuerit causæ unde sobolescunt, κακοηθεία, admodum perniciosæ evadunt, puta virides, violaceæ, lividæ, nigricantes, eò deteriores quò nigriores. At longè calamitosiùs ægrotantium vitæ insidiatur putris ille humor, dum vel quantitate luxurians, aut infensus qualitate, vel orgasmo commotus, papulis in cute efflorescentibus, in internis etiamnum partibus furias agit: tunc aliqua sui portione decumbens in intestina, torminosum parit alvi profluvium; alia in pulmones irruens, tussim movet, quæ nonnunquam humida frequentiùs sicca, utroque tamen nomine exitiosa, quod crebra pectoris concussione corpus nimiùm commoveat, capitis dolorem inferat, vigilias accersat, respirandi difficultatem excitet summam, quam lethalis sæpius angina excipit, ac tandem, nisi magni cujusdam præsidij beneficio, aliò revocetur inordinatus ille humoris impetus, vel in proprio fonte intercipiatur, φθίσιν inducat immedicabilem, nec minus naturæ & Medico facessit negotium, crebra, eruptionis tempore serosæ colluviei, per alvum dejectio, quâ illa multùm effæta non modò à suis muniis avocatur, sed iis in posterum rite obeundis impar efficitur. Quare frustra insudat naturæ minister, qui tali neglecto symptomate, roborandis illius viribus totus incumbit; qui enim ad intestina perenniter depluit efferus humor, nova illic fermentatione ebulliens, partes cum cruciatu distendit, aut affectum infert dysentericum: tum conceptis ignibus magis incalescens, nativo calori sic bellum indicit, ut tandem inducta intestinorum νεκρώσει, omnis prorsùs pereat recuperandæ salutis expectatio, tanto nisi imminenti periculo, multiplici venæ sectione prospexerit peritus artifex.

VARIOLARVM, quas statim ab initio prædicta comitantur symptomata, curationem non assequuntur, qui prætermissa venæ sectione, pro morbi magnitudine & virium robore pluries repetenda, ad sudorifica confugiunt, quæ insigni calore & eximia qua pollent partium tenuitate, totam potiùs sanguinis massam colliquant, humorum augent decubitum, nativum calorem dissipant, quàm utilem peccantis humoris ad cutem promoveant expulsionem: Non probanda quoque vesicantia, non admota cordis regioni tum solida tum liquida epithemata, ex cardiacis (ut vulgò ferunt) composita, quibus nulla sive occulta sive manifesta vis inest, quâ illud roborent: non gemmatas aut ex auro, vel fragmentis lapidum pretiosis, conflatas potiones, quibus iners prorsùs & invalida ad juvandum facultas; non Confectionem Alkermes vel de Hyacintho, in aquis scorzoneræ, cardui benedicti, aut consimilium dissolutam, quæ ut crassitie vias obstruit, putredinem accelerat, dum qui interceptis meatibus ut plurimùm hærent humores, confestim cœcis ignibus incalescunt: hinc præfervida intenditur viscerum intemperies, quâ cordis adaucto calore febris exacuitur, & symptomata, quæ inchoante morbo satis crudeliter divexabant, redduntur graviora. Nonnulli cum numerosa muliercularum turba incipientibus variolis (licèt summa videantur symptomata) vinum commendant; sed perperam, quòd caliditate & siccitate qua constat febrili incendio stimulos addat, fluxiones promoveat, calidis halitibus caput gravet, delirium acceleret, & non raro convulsionibus ansam præbeat. Alij dum ægros in conclavi impensè calido multis onerant tegumentis, ut nativum illorum calorem tueantur, eundem vel suffocant vel exolvunt; sicque in illorum commoda gravissimè peccant quotquot isthæc levioris armaturæ præsidia venæ sectioni anteponunt.

OMNE punctum feret venæ sectio, cujus salutares effectus damnant dumtaxat qui illos ignorant, infeliciùs sanguini parcunt illi variolarum initio, quem deinceps, dum gravia quædam urgent symptomata, coguntur profundere. Hac arte non juvabitur, sed fatiscet natura? Vis alacriorem reddere, tempestivè auxiliares manus porrige. Gemit nonnunquam incipientibus variolis nimia sanguinis quantitate obruta, hujus portionem incisâ venâ detrahe, efficies vegetiorem; languida videtur in excernendo, vires addes phlebotomiâ; huc illucque fervore concitati ruunt humores, sistet venæ sectio; pulmones tussis exagitat, immanis intestina excruciat dolor, vires frangit alvi profluvium, his omnibus tutò prospicies, si in mittendo sanguine audax fueris; teque tamdiu talem præstabis, quamdiu symptomatum, quæ morbum ab initio fuere comitata, intensio postulabit; neque interim à bechicis & anodynis prorsùs abstinebis: sicque attemperato febris incendio, restituto cordis robore, sedato humorum orgasmo, expeditis partium viis, per quas ad cutem humores noxios debet natura propellere, non modò à pulmonibus proximæ suffocationis periculum avertes, diris liberabis cruciatibus intestina, verùm efficies ut uni dumtaxat motui perficiendo intenta natura, opus suum feliciùs absolvat, nec ab hac medendi methodo ulla te deterreat ætas, ulla regio, anni tempestas, aut corporis habitus, licèt in hujus decernendi modo illorum omnium, quod prudentis Medici est, rationem habere debeas.

Ergo variolis erumpentibus, urgente tussi aut alvi profluvio, venæ sectio repetenda.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus de Bourges.
M. Petrus Legier.
M. Nicolaus Robin.

M. Franciscus Sorand.
M. Iacobus le Menestrel.
M. Carolus Brisset.

M. Franciscus le Vignon.
M. Petrus Legier.
M. Claudius Germain.

Proponebat Lutetiæ CLAVDIVS DE QVANTEAL, Castelliosequaneus, A. R. S. H. M. DC. LXIX.